

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A 1563.

PARS TERTIA

157

eum familia vale, vir clarissime, & Galli tui memoriam retine: Salutem
reverenter opto piis collegis tuis. Ratisponæ, 15. Septembris Anno 1563.

Te reverenter colens

Nic. Gallus.

XLVI.

S Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, vir reverende & chariss. frater, co-
quod charitatem erga me tuam declarant, & quia de statu vestræ Eccle-
siæ copiose docent. Et quanquam dolet, novum à pacificatione ortum pa-
roxysmum esse, quod opratius fuerit, sancta in Domino *improbia* vos, sicut cæ-
peratis, feliciter conjunctos permanere: Spes tamen est, eum ipsum, qui ex-
citatus est motus, ad certum Ecclesiæ bonum exiturum, DEI optimi benefi-
cio, qui ejusmodi æstus in perscrutabili consilio regit ac temperat: Adparet
autem aliquid *versari* resedisse in Zanchi animo, quod manifestavit tempus.
Ceterum quod Gallicanam Ecclesiam attinet, placet datum abs te & Con-
ventu consilium, ut quod ad cavenda schismata rectè comparatum videtur
& prudenter. Seniores tamen possent meo judicio concedi, ad disciplinæ
conservationem, modo ei Senatui pastor Flinerus cum Diaconis suis interfit,
et si arbitror, ægre diaconum ecclesiæ ejus ministrum, qualem requiris, re-
periri posse, & conditiones vix admissuros Gallos, quamlibet pias & decen-
tes. Equidem propter Galliæ regnum, maximopere velim, talem Ecclesiæ
gallicanæ formam apud vos constitui, quo inde aliquando, veræ doctrinæ
feminaria, & Reformationis forma moderatioris, propagaretur ad externos,
& simul aleretur animorum conjunctio, ex professionis & ceremoniarum
conformitate. De Ecclesiæ nostræ statu nihil possum novi scribere, idem
is est, qui hactenus, non quidem qualem per omnia vellemus, sed tolerabilis
tamen, facimus pro virili officium, præstamusque Christo infirmum mini-
sterium, pacemque, quantum in nobis est, fovemus cum omnibus. Præcor
te, vir reverende, ut nos tuis sacris precibus juvare assidue velis, ac symmistas
tuos optimos & doctiss. viros, Sturmium item & reliquos Professores, meis
verbis amanter & reverenter salutare. Bene vale in Christo JESU cum uxore
& totaque familia. Scripsi Basil. 4. non. Octob. an. 63.
Resalutat te D. Coccius officiosiss.

T. totus ex animo

S. Sulcerus.

XLVII.

U 3